Ex Bibliotheca ... Haeghen

Brief en congnois
moult cuyde
en congnoistre

F.V Inv. Ch. O. ghena Sc







PLVTARCHI

CHÆRONEI DE COMPLVRIVM amicitia liber, Ioanne Othone Interprete, non infrugiferis per eundē Annotationibus illustratus.




ANACHARSIDIS SCHYTÆ.
Vnius præstantis viri, quàm multorum leuium amicitia potior.

GANDAVI.
EXCVDEBAT HENRICVS CHÆrius Anno Do. M. D LVI. mense Iulio.
Cum Priuilegio.

IOANNES

OTHO GENEROSO ET BONÆ ſpei iuueni Ludouico Blaſerio Salutem D. P.



PRudenter mihi facere videntur huma=niorum literarum profeſſores, quod ſuos, gręca latinis paulatim coniungere doceant: pręſertim vbi iā fere laborioſos Grāmaticorum canones ſuperarunt, quos Iuſtiniani aut Galeni ſacris, aut cœleſtis Theologiæ miſterijs, initiare, parētes deſtinarūt. Proprij enim ſermonis, & plenę orationis, futurus aliquā do Iuriſconſultus, ante omnia ſtudioſus eſſe de=bet: quod commodiſſime fieri poſſe video, ſi ab ipſa ſtatim adoleſcentia, pueri ad Tullianæ elo=quentiæ imitationē, præceptis grammaticæ me=morię mādatis, adſpirēt, & quæ latinis, ex phraſi græca, in uſu & obſeruatione ſunt orationis lumina, & proprietates, diligenter notent, eaſque aſsi=dua ſermonis latini exercitatione, ſequātur, quibus pure, ornate, & proprie dicēdi orandique facultas, tanquā firmiori cuidā baſi perpetuo innitatur: Sic mediocris lingue grecę cognitio, in iuris legumque diſciplina, ornamento eſſe poterit.

Cæterū qui medicinæ fœliciter operā dabit, in utriuſque linguæ facultate, non tantum verſa-

tus,ſed diu multũque exercitatus ut ſit, neceſſe eſt:niſi ingenij bonitate,& ſupra reliquos omnes homines,diuina prope memoria prędirus ille ſit, ut abſque ullo gręcæ lectionis uſu, vocabula omnia gręca,quę in ea ſunt arte,diſerte explicare, & ĩterpretari valeat:In qua fœlicitate & dexteritate D.Ioannem Alexãdriũ, urbis huius clariſsimum & pręſtãtiſsimum medicum videmus. Et Theologiæ candidato, cùm latinis græca, & hebræa, magno uſui futura ſunt: harum autem facultatum cultores,ex bonarum literarum profeſſoris officina,tanquam è fonte quodam educuntur.

Sed nemo interim, aureã illã in ſummis ingenijs, ut Bartoli,& Baldi,& aliorum in alijs facultatibus barbariem,mihi obijciat,quaſi noſtra hæc ætas, talium virorum ſibi exempla proponere,& politiores literas, rebus gerendis inutiles debeat exiſtimare. Poëta Ennius,quem,ſicut ſacros vetuſtate lucos,adorari vult Fabius, vergiliano ſæculo, ſuam laudem & admirationem promeruit: non in hoc ut fœliciori præditis ingenio adoleſcentibus,politioris in re literaria ſtudij cupiditatem,& occaſionem,veteris poëtæ,illa in vocabulis deliria eriperent,ſed ut ex illis, tanquã ſemente quadã, matura ſemel meſsis, poſteritatis cura uſu,doctrinaque excreſceret. Notũ eſt illud Maronis ex ſtercore Ennij, aurum colligo.

Cũ itaque latinas literas didiceris dilig̃eter, & græcas non infœliciter ſane attigeris, quas tibi iam philoſopho uſui eſſe, paulo poſt Iuriſconſulto arbitror ſufficere. Hunc Plutarchi cũ commentariolo libellum, tibi volui legendum tranſmittere: quẽ ſi ſuccıſiuis horis peruoluas, audita apud nos, & lecta, utiliter & iucũde in memoriam incurrẽt, & intermiſsi forte in grammatica græca ſtudij iacturam, breuis repetitio reſarciet. Non quod Louanij quæ Germanicarum eſt omnium florentiſsima Academia, iſtiuſmodi occaſionem tibi dari nõ putem, ſed ut amoris in te mei argumentum, ceu ſymbolum cõſtare videatur: debui ſimul in ſtadio literario ad metã ſtudioſe properantem, fauſtis acclamationibus proſequi, & tua ſponte glorioſe currentem, quodammodo incitare, ne animoſi curſus leuıcula defatigatio, te uſpiam ab optimis cogitationibus, & laboribus auerteret. Cupiam enim te, quod in Oratoria & Philoſophia laboris eſt reliquum, fortiter & libenter ſuperare.

Non me latet eſſe qui magno ingenio adoleſcẽtibus, quaſi claſsicũ ad artiũ contẽptũ & ſuperbiã canant, ac ſi præſidio tumultuariæ garriendi latine facultatis, repudiato demum & execrato omni philoſophiæ ſtudio, ex ſqualidis grammaticorum ergaſtulis, ſtrenui aliquando Iuriſconſulti

tanquam ex equo Troiano prodire ſoleant. Sæpe ego vidi in Ariſtotelicæ diſciplinæ odium, taliũ ſuggillationibus, magnos in ſcholis tumultus excitari, & ingenioſiſsimos adoleſcẽtes turbantium clamores, ſanioribus conſilijs anteferre. Deinde illotis (quod aiunt) pedibus, ex frigida & ieiuna grammaticæ partis ſintaxi, ad veneranda legum ſtudia (neſcio quo Italico faſtu) aſcẽdere: & ibi perplexitate, varietate, & difficultate rerum, in ea videlicet diſciplina, quæ ſolida latinæ orationis cognitione iuuatur, & methodo dialectica carere non poteſt, deformiter tandẽ orbui. Id enim temerariũ non eſt, ꝙ manifeſte ex intima philoſophia. M. Tullius Orator optimus, & Iuriſconſultus diſertiſsimus, hauriendã iuris diſciplinam exiſtimet.

Nõ negarim tamẽ, ingenioſos multa artificũ ſimilia, ſine præceptis poſſe facere, ſed in grauibus, & perplexis controuerſijs, connexiones rerum neceſſarias, ordinem, & naturam, neq; animo complecti, neq; diſertis receptiſq; verbis explicare, aut vbi in argumento delinquatur, cernere poſſunt. Atqui barbaricum illud cœnum nondum illis abſterſit ab oculis Ariſtoteles, Ariſtoteles inquam? quẽ (Ciceronis pace dixerim) diuino Platoni hic audacter præferam. Sagax enim natura igniculos, tanquam oculos habet,

ſed

ſed caligine multa adhuc laborãtes, quibus niſi medicas manus dialectica artium regina(ut inquit ille) ſemel adhibeat: nũquam res ipſas, ſed tantũ rerũ ſimulachra, per omnem vitam videre continget.

Quare mi Ludouice ſi in te ornãdo, neq; natura, neq; Dij dormitarunt, & aliquot ante annis, fœliciter ammodo ſint immortalitatis tuæ iacta in literis fundamenta, ſapientum te ſolum vrgeant cõſilia, bonorum autoritas, & tuorum expectatio, maxime vero, ampliſsimi doctiſsimiq; cura, & ſolicitudo parentis tui, cuius famæ claritas, & eruditionis gloria, ſine vllis monitis, alte etiã ſtertentem filium excitare, vigilantem accẽdere, properantem incitare debuerat: ne generoſo tuo animo quicquã indignum, per temeritatẽ, ignauiam & molliciem alibi admittas.

Cum multa olim eſſent Romæ, quæ iuuẽtutẽ, ad res bene fortiterq; gerendas accenderẽt, tum pręcipue, maiorum, qui de Repub. bene meriti eſſent, in foro imagines, quibus viſis, velut flammã ſibi in pectore accẽdi ſentiebãt, qua virtutẽ gloriamq; parentum, ſi non ſuperare, ſaltem æquare contenderet. Extremæ profecto ignominiæ eſt, otio & luxu, a natalium ſplẽdore degeneraſſe, nihilq; vnquã domi, aut militiæ præclarũ, nobiliq; proſapia dignum peperiſſe. Militia forſan ob cor

puſcu

pusculi infirmitatem tibi non conuenit: ingenium certe, eruditio, pietas, rerumq; gerēdarum in politica gubernatione gloria, aliquādo (cum fata viam ostenderint) faciet, ut tuæ familiæ splendorem, patriæ vtilitatem, tibi deniq; ornamentū (si aduigilaueris) adferre posis.

Videmus (proh dolor) in vrbe hac nostra, magnæ nobilitatis iuuenes, perdite viuere, otio defluere, flagitiosa sodalitia strenue sectari, in libidine, & crapula, per omnis generis ineptias, turpiter volutari, pileo, calceis, & vagina ad latus purpuratos, gladio accigi, vel potius alligari, cū fastu & ferocia, in compitis & foro obambulare, ibiq; de hesterna Laide, & poculis, saltationibus, alea, tanquam re bene gesta inter se multa cōmemorare, & velut inutilia Reipublicæ pondera, se suamq; vitam cum summo ludibrio, & dedecore perdere, quibus non male illud Ennij accinas.


Vos etenim iuuenes animos geritis muliebres
Salmacida spolia sine puluere & sanguine.

Ab his te optarim διὸ διὰ πασῶν quod dicitur abesse, & vbi ad Rempublicam aliquādo accesseris, otiosos istos publico interdicere, & more maiorum, in temulētum istiusmodi numerum, spōsosque (vt eos Poëta appellat) Penelopes animaduertere, vt domi aut foris Reipublicæ vtiles esse discant. Bene Vale. Gād. xiiij. Cal. Aug. 1556.

PLVTARCHI

CHÆRONEI DE COMPLVrium amicitia liber, è græco in latinum tralatus,

Ioanne Othone Interprete.



SOcrates interrogabat Menonē Thessalum illum, qui sibi in arte dicēdi satis exercitatus esse videbatur, quòd quidem Empedocles tanquam in vertice, summoque sapientię gradu, arbitratur cōsistere: quid esset virtus. Quam ubi ille ex tempore, & insolēter sanè definiens, puerorum, senum, mulierum, principum, priuatorum, dominorum, seruorum denique esse responderet: pulchrè inquit Socrates, de una virtute interrogatus, examen mihi virtutum cōcitasti. Nō obscure innuēs ne unam quidem virtutem illum recte diffinire posse, quamuis eādem multorum hominum esse intelligeret. Ita merito hic nobis aliquis insultet, qui cum vix unius constanter queamus obtinere amicitiam, vereamur tamen aliquando, intimorum multitudine posse obrui. Perinde si quis mutilo corpore in Briareum centimanum, oculis vero captus, in Argū oculatū mutari metuat.

B. Ve-

Verum adoleſcens ille apud Menandrum, mihi multo probatur magis, qui in primis virum bonum ſibi videri dicebat, cui vel unius tantũ amici umbra obtigiſſet. Nam complures amicos appetere, pręcipuũ (ut alia omnia prætereã) obſtaculum eſt, ne erga unũ, germana, & ſtabilis amicitia eſſe queat: ſic per vagos concubitus, multorũque cõplexus, proſtitutæ mulieres pudicitiæ, prioris amorem, ſi eo potiri non detur, negligunt & abijciunt: Vel ut ætate adhuc tenera, Hypſipyles alũnus, in pratis deſidens ſumma cũ voluptate animi, ex floſculis varijs, quos deſcerperat, faſtiditis alijs, ex alijs ſertum ſibi cõtexuit: ita quiſque nouitatis ſtudio, & præſentium faſtidio, nouis libenter ac florentibus amicorum acceſsionibus ducitur, & ab uno ad alterum, beneuolẽtiæ, alia atque alia, eaque imperfecta initia transfert.

Primum igitur (quo veluti ab ipſo lare exordiamur) teſtem ſimul, & conſiliarium noſtri ſermonis, communem hominum famam ſtatuamus, quam de fidelium amicorum conſtantia ſuperior ætas nobis reliquit, ubi amicorum aliquot paria extitiſſe perhibetur, Theſeus & Perithous, Achilles & Patrocl', Oreſtes, & Pylades, Phindias & Damon, Epaminondas & Pelopidas. Amicitia enim ſtudiorũ & voluntatũ etiã victus atque adeo rerum omnium arcta cõmunione definitur, in

qua

qua neque pecudum, neque graculorũ more, gregatim feruntur homines, verum alium tibi charum propter amicitiam teipſum credere, & amicum, tãquam alterum te appellare, nihil eſt aliud, quam certo numero, modoque comprehenſa uti amicitia. Neque enim ſeruos plures, neq́ꝫ amicos plurimos paruo comparabis. Quod enim illud tandem precium eſt, quo comparari & retineri amicitia poterit? Beneuolentia videlicet, morum ſermonumque cum virtute ſuauitas, qua neque præſtantius, neque precioſius natura quicquam habet. Quare ut complurimos impenſius diligamus, aut a pluribus ſtudioſius obſeruemur, nullo modo fieri poteſt. Sed quemadmodum flumina quæ in oſtia varia defluunt, lentius infirmiuſque labuntur: Sic animus ſyncere quidem, & candide erga unum afficitur, ſed plurimorũ obſeruantia diſtractus, langueſcit, & perit.

Quapropter animalia quæ unum fœtum enituntur, ipſo naturæ inſtinctu potẽtius, & præter cætera egregie erga natum affici videas. Sic Homèrus parentibus chariſsimum filium μοῦνον τηλύγετον nominat, hoc eſt unicum, eundemque ſerius, utpote, alieniori iam ætate, parẽtibus natũ.

Neqꝫ vero hæc eo ſpectant, ut uni duntaxat amico locum relinquere æquum cenſeam. Sed è multis unus tibi, quicum antea modiũ ſalis ede-

ris (iuxta prouerbiũ) arctiore familiaritate, & beneuolentia adiungendus est: Non quemadmodũ hodie, amici vocabulo suos compotores dignantur, aut eos qui contracta in unis ædibus notitia, aleæ aut pilæ, simul dederunt operam. Illi ex tabernis meritorijs, è palestris, aut foro, sibi amicos petunt. Porro in principum aulis & factiosorum hominum familijs, qui turbam blande salutantiũ vidēt, eosq; qui norunt dexteram cōiungere dexteræ, & honoris gratia comitātur, eos demum fœlices, qui tanta amicorum copia, & adeuntium honore excipiantur, iudicant. Sed ut muscarum in popinis eorundem examina vides, quæ cessante isthic nidore auolant: Sic tales quoq; amici, commodis ibi destituti, paulatim deficiunt.

Quare in vera ingenuaq; amicitia, tria potissimum requirũtur, virtus, ad morum honestatem, mutua consuetudo, ad vitæ suauitatem, postremo utilitas, rebus ad omnem usum necessarijs apta. Magno enim iudicio illum deligere oportet, cuius in consilijs cōsuetudo voluptati sit, & quo si postulet usus, familiariter uti liceat, quæ certe omnia, quādo plurium amicitiæ aduersentur, tum præcipue illud, nempe quod hic palmarium est, experimento iuditioq; deligere, quem diligas. Siquidem ut alia omittam, quale illud tādem experimentum seu quæ exploratio fuerit, si tamen ulla

ulla breui temporis ſpatio recte fieri poterit, ex cantoribus una numeroſe modulātibus, ex remigibus ſtudioſe una remum agentibus, deligere qui pecuniarũ in familia procuratores frugi, aut filijs inſtituẽdis induſtrij præceptores futuri ſint: multo minus cognoſcere poteris amicos, eoſq; non raro omnibus fortunæ bonis exutos, qui ſpẽ & res ſecundas in ſpeciem ſimulantes, tanquam re lauta, beatiq; vulgo commendari volunt. Neq; naues tot perferendis tempeſtatibus in mare educuntur, neq; qui caſtra propugnaculis, aut mœnia vallis aggeribuſque præmuniunt, ſibi à tot tantiſque periculis metuunt. Quin grauioribus malis præſentius remedium, & aſylum denunciet & aperiat ſancte fideliterque explorata amicitia.

Cæterum quæ probata parum, & inſtabilis eſt, ea ſimilis eſt adulterinis, & ſine iuſto pondere nũmis, qui ab uno ad alterum deueniunt, ut gaudeant illi, qui tales non receperint, & qui receperint, ſtatim per manus alij tradidiſſe expetant. Alienatio autem, animique in amicitia ingrata & odioſa diuulſio, ſine diſcrimine fieri nequit. Sed ut cibum noxium & peſtiferum, ſine valetudinis detrimento, in ſtomacho retinere, neque eundem qua illum deglutijſti, facilitate, niſi monſtroſum poſtea, & atra bili commixtum, & ſubactum, cum horribili moleſtia euomere nequeas: ſic amicus

improbus aut te offendet ipſe, aut offenſus, ſumma cum perturbatione, & odio tãquam atra quædam cholera, tibi tandem excidet. Ergo temere ſodalitia cõſectari, non oportet, neque his in quos forte fortuna incideris facile adhærere, neque ſtatim beneuolentia adiungere, qui hoc ipſum officioſe affectabunt, ſed eos demum ipſimet qui coli & amari digni ſunt, ſũmo ſtudio proſequemur. Non enim quod prima fronte ſe offert, protinus amplectendum eſt. Verum ut præterita abiectaque veſtibus aperine, aut rubo, ad oleam ſeu vitẽ recta properamus: ita non ſtatim leuiter omnes in amicitiam admittere, ſed nos tales præſtare, ut ab excellentibus virtute viris, qui nobis ornamẽto, in vita, & adiumẽto eſſe poſſunt, ultro ad mutuam beneuolẽtiam interpellemur, præclarũ eſt.

Quemadmodum cum Zeuxi vitio verterent multi, quod tardius pingeret, & id quoque fateretur, unam quidem (inquit) diu multumque imaginem pingo, ſed longo tempore duraturam. Sic ea demum amicitia vere utilis eſt, quæ iudicio & tẽpore conciliata eſt. Quaobrem ſtatim de multis, qui te amore proſequuntur, iudicare, difficile eſt, cum multis vero verſari, facile quidem, quamuis illud mihi vix fieri poſſe videatur. Nam in mutua familiaritate, fruitio ſola, & fructus amicitiæ conſiſtit, in qua continuum diem fallere, alter-

niſq;

nisq; cum amico sermonibus frui, suauissimum, neque fœliciter unquam succedunt consilia, nisi eadem cum amico seorsum, mature conferas, sic de Vlysse eleganter Menelaus:

Nil aliud, quam
Vna dies atri dirimet nos ultima læthi
Fœdere amicitię concordi pectore iunctos.

Diuersum ab illa facit hæc, quæ inter plures esse dicitur amicitia. Nam illa comitate mutua, & humanitate constringit, unit, & trahit animos ad beneuolentiam, concordiamque, non aliter, quam ficus, aut pineæ succus (ut inquit Empedocles) lac nouum coagulat, consolidatque: Sic etiam ineuntis amicitiæ assensionem generat. Hæc vero quæ inter complures est, separat, auellit, auertitq; animos hominum, quos dum huc illuc vocat, & transfert, nec condimento ullo, nec mutua complexione in arcta, veraque necessitudine amore unquam concrescere sinit, sed in cognoscenda, & rependenda gratia, inæquabilitatem & morositatem gignit. Ita quod in usu & tractatione amicitiæ utilissimum est, & facillimum, idem in amicorum abundantia, difficillimum est, & incommodissimum. Alijs mores diuersi, alijs officia, & solicitudines variæ, negotium exhibent. Neque enim illa naturæ humanæ vis (qua ad agendum impellimur) ad tantam leuitatem flecti potest:

neque res nostræ euētus semper optatos sibique similes sortiuntur. Nam gerendarum rerum opportunitas, quemadmodum vētorum flatus nūc hos promouet, nunc illos retardat. Præsertim si ab uno officia amicis debita, plures simul certatim requirant, difficile est singillatim adesse omnibus, publice aut priuatim aliud agentibus, ut qui magistratum ambiūt, aut familiariter amicos excipiunt, potissimum si uno eodemque tempore ad officia diuersa interpellabunt. Hic nauigaturus, tē peregrinationis suæ comitem optat. Ille in ius vocatus, patronum te sibi expetet. Alius in cognoscēda causa, tuum quoque iudicium requiret. Est qui empturus vel vēditurus aliquid, opē poscit. Aliquando hic ad nuptiarum solennia eodē die, quo te alius ad funebrem pompam, procedere volet, inuitabit. Vt de Thebis pestilētia afflictis & tyrannide liberatis, elegāter Sophocles.

Vrbs læta sacro incensa thure perstrepit
Et tristis in fletu graui lugentium.

Omnes vero passim amicorum multitudine seu turba obrui, non est verisimile; cōtra eandem nemini unquam obuenisse, non ausim dicere, uni certe tantum neglectis cæteris dedisse operam, odiosum. Siquidem

Nemo lubens ab eo quem amat contemnitur.

Forsan æquius paulo, negligentiam, aut in officio

ficio cessationē ferent amici, si hac aut simili orationis forma se purgarint dicentes: Non memineram. Verum si quis in iudicium vocato, cur minus opem tulerit, simili in causa aduocatū alteri se dixerit: aut febribus laborantem amicum, non inuiserit, quod tempus interim apud amicū alium conuiuio suos excipientem, fefellerit, suo sic in alium studio & cura, negligentiam purgare volens, non tantum crimē obiectum non diluit: quinetiam obtrectationem, & suspitionem vehementius auget.

Præterea non pauci undicunque & quoslibet sibi conciliant, & quum plurium (ut apparet) beneficio & opera utantur, non se obligari, nec rependendum vicissim officium esse intelligant.

Quemadmodum itaque Briareus centum manibus quinquaginta sustentans suos vētres, nihilo plus habuit, quam is, qui duabus manibus uni ministrat: Sic in amicitia pluribus ministrare, & cū multis, & pro multis negotia, labores, & molestias subire conueniet: Nequaquam vero Euripidi fides hic aliqua haberi debet, qui amicitiæ modū quēdam statuit, monet enim, ut animornm inter se mutua oblectamenta facilius dissolui queant, ne ea ad intima mentis penetrent, sic amoueri (si hoc ex usu est) aut retineri commodius poterūt, omnino ut Nauclerus, nauis pedem tempestati

tradit, aut eundem(si commodum videtur)contrahit.

Verum (ut pace Euripidis dicam) sententia hæc, ad inimicitias mitigandas potius transferatur, ut discordiæ humanum aliquem terminum constituamus, ne illa videlicet animi penetralia occupet, ut lites, iræ, querelæ,& simultates facile sanari, tollique possint.

Atque interim Pythagoricum illud, ne cuiuis dextram inieceris,nos admoneat,non incumbẽdum in hoc, ut nobis multos comparemus amicos,ne tanquam populare quiddam, & sordidum amicitia censeatur, quæ ad unum sine multis animi perturbationibus,& curis non perueniat. Atqui una cum amico anxium esse, mœrore affici,laborare, periclitari, bonis ingenuisq;,non usq; adeo molestũ,aut graue creditur. Verum est autẽ illud Chilonis, sapiẽtissimi hominis, apud quem cum gloriaretur quidam, neminem sibi prorsus inimicum esse: videris (inquit) nullum penitus amicum habere. Inimicitiæ enim amicitiam tanquam pedissequæ semper comitantur, & circumstant. Amicus alioqui non erit,nisi perinde alterius amici incommodis,ut suis afficiatur,una cum illo male audiat,& offensam in se transferat. Qui autem alijs inuidet, amicum suum leui occasione suspectum habet,oditq;. Et qui mutua

fami-

familiaritate iunguntur, sæpenumero succésent, obtrectant, & inuicem auelluntur. Quemadmodum itaque Timesiæ de sedium mutatione respondit oraculum.

Succedent apibus vesparum examina parcis.

Ita qui amicorum præsidijs, se undique muniunt, imprudenter in aduersarios multos, tanquã in crabronum sobolem incurrunt, ibique iniuriarũ inter inimicos recordatio, non perinde se habet, ut inter amicos gratiæ memoria. Hic mihi ex historijs in memoriam quis reuocet, quot quãtisque malis Alexander, Parmemonis & Philotæ domesticos, & necessarios affecerit, quomodo Dionis ĩtimos perdiderit Dionisius, socios Plynti trucidarit Nero, Sciani amicos interfecerit Tyberius. Vt enim Creontem nihil aurum, nihil magnæ iuuerunt opes, quin ad filiæ complexum accurrentem, repẽte flamma utrumque peremerit: ita quidam nullo adhuc à fœlicibus suis amicis accepto emolumento, cum infœlicibus misere perierunt, quod plærumque sapientiæ studiosis, & præstãtibus virtute viris, usu venisse accepimus. Theseus amico Perithoo ad carcerem cõdemnato, ipse quum liber esset, in vincula se quoque duci passus est. Et ut testatur Thucydides, grassante pestilentia, quum in amicorum necessitatibus virtutem potius, quam se, amici respiciũt,

contagioſo laborantibus morbo cōmoriuntur, ſui enim nullam prorſus rationem habuere, qui amicorum neceſsitatibus occurrerunt.

Quapropter virtutem non ita pro nihilo pēdere oportet, ut illam quaſi alijs videamur obtrudere, ſed quotidianæ vitæ conſuetudinē, cum dignis tantum, hoc eſt, cum ijs qui & redamare, & mutuam alere cōcordiam poſſunt, retinebimus. Maximum inſuper, hic de qua loquimur multiplicis amicitiæ obſtaculum eſt, matrem dilectionis eſſe ſimilitudinem: Nam ut animantia cum diuerſo ſibi genere, etiam ſi ſumma vi inſiſtas, nō commiſcentur, neque coeunt, ſed cum feritate in terram abijciunt ſeſe, & proſternunt potius, quā mutua ad generādum commercia admittant, ad ſimilium vero ſui, rapax natura libenter ſe applicat, idque cum deſiderio, & cum quadam ſimilitudine amoris humani. Quo tandem pacto illi in ſocietate, animique cōiunctione cōquieſcent, qui in moribus, animi natura, affectibus, vitæque inſtituto longe, lateque diſsident: hic dicet aliquis: Nonne in concentibus muſicisque organis, ex contrarijs vocibus, & æqualibus conſona modulatio oritur: ex acutis utpote & grauibus tonis, neſcio quo pacto, ſuauis quædam vocum harmonia conſtituitur: Recte. Cæterum amoris mutui iuſtiſsima harmonia, & conſenſus, omnia æ-

qua-

qualia requirit, nihil confusum, aut ex parte integrũ admittit, ubique & in omnibus similitudinem retinet, idem cum alio sentire, idem velle, nolle, pati, perinde ac si unus plura corpora foueret spiritus.

Proinde quis tam versipellis, vagus, & inconstans, sic ad multorum ingenia fictus formatusq;, cui non ridiculo Theognidis videatur sententia, ubi sic præcipit.


Mentem habeas vafri Polypi, qui protinus illa
Se quibus admouit saxa colore refert.

Polypi enim illa coloris alteratio, non petit intima, in extrema tantum cute hæret, laxitate, atritu, vicina saxa contingens, eadem refert, & exprimit, sed solida ista amicitiæ & concordiæ vis præ se fert morum, sermonis, studiorum, affectuum, veram similitudinem. De Protheo autem, quẽ in varias plerumque formas miris præstigijs trãsformatum perhibent, neque auspicatum, neque humanum putem, siquidem cum eloquentiæ studiosis ipse eloquens erat, in omni palestra, si res postularat, se una exercuit, cum venatoribus, venabatur, cum strenuis potatoribus, inebriabatur, cum ambitiosis, ad honores simul contendebat, denique nullam morum, aut studiorum constantiam sequutus est. Quemadmodum itaque informem substantiam, & ab accidẽtibus separatam

materiam Physici, mutationi perpetuo subiectã dixerunt, ita ut illa quandoque ardeat, non raro aquis mergatur, aliquando in aerem euanescat: Sic qui plurium simul amicus esse volet, animum ad versutiam, calliditatem, ad omnium hominũ naturam, ad stoliditatem denique transferre debebit, siquidem amicitia grauitatem morum, uno in loco, vitæque instituto constantiam requirit, ut vel ob hoc solum, veræ amicitiæ tanta dignitas, & tanta ubique penuria videatur.



ANNOTATIONES IOANNIS OTHONIS IN PLVtarchi de complurium amicitia libellum: Titulus libri.



Περὶ πολυφιλίας De nimijs amicitijs, aut his, qui plurimorũ amicitia obruuntur. Cicero libro ſexto epiſtolarum ad Leptam, epiſt. 19. De Cæſaris familiaribus, intimorum multitudinem latine extulit. Tanta eſt (inquit) intimorum multitudo, ut ex his potius aliquis effluat, quam nouo ſit aditus: Idem in eo dialogo, quem Lælium, ſeu de amicitia inſcribit: nimias amicitias non ſemel πολυφιλίαν interpretatur, cum fugiendas monet nimias amicitias, ne neceſſe ſit unum ſolicitum eſſe pro pluribus, Ottomarus Lucinius qui ante nos libellum hunc latio donauit, πολυφιλιαν amicitiam in multos diffuſam interpretatur.

Conſilium autoris.

Quæritur in hoc commentariolo, an plures amici commode ab uno coli, & obſeruari ſimul queant. Quod multis adductis rationibus, veræ amicitiæ prorſus aduerſari oſtendit. Proteos interim & polypos, verſutos, callidos, iſtabiles, & verſipelles eſſe docet, nihilq; minus, quam verè ami-

amicos,qui ad plurimorum familiaritates, & obſequia, aut ſe componere norunt,aut plurimorũ amicorũ affectibus ancillari cõſueſcunt. Interim ſynceræ amicitiæ natura, & vis graphice hic depingitur, quæ & in plures diffundi, ſuamque virtutem, & efficaciam obtinere,non poteſt.

Exordium ab occupatione.

Μένωνα. Exorditur ab occupatione, ea eſt quæ occurrit his quæ contra nos dici poterant. Arrogantius enim de ſe ſentientem Plutarchum hæc conſcripſiſſe, tanquam ad multorum paſsim familiaritates, ob ingenij eruditioniſque magnitudinem, ultro expetitum ab aduerſarijs potuiſſet obijci. Quare ex Platonis dialogo obiectionẽ eleganter diluit. Plato dialogum, in quo diſputat, num virtus,doctrina, exercitatione, an vero natura,aut alio quouis modo hominibus contingat Μένωνα inſcribit,hic fuit aliquãdo Gorgiæ nobiliſsimi,& doctiſsimi rhetoris diſcipulus,Sophiſta ut eſt apud Platonem,ſibi plus æquo tribuens, propter pręceptoris artificium ingeniũ,& autoritatem vulgo etiam in precio habitus, διόμενον inquit Plutarchus ἐν λόγοισ ἱκανῶσ γεγυμνᾶσθαι.

Εμπεδοκλέουσ. Horatiano carmine notus eſt Empedocles Poëta, & Philoſophus Agrigẽtinus á Pythagora inſtitutus,de rerũ natura poëma cõſcrip-

ſcripſit, ex quo hoc hemiſtichiũ videtur deſumptum.

Σοφίας ἐπ' ἄκροισι θαμίζειν

Quo forte monebat, dicendi artem tãquam philoſophiæ ſummam, in extrema ſapientiæ meta conſiſtere. Hoc eſt neminem debere, aut dicere, aut diſputare de rebus, niſi qui prius in omnibus philoſophiæ partibus, ſtudioſe eſſet verſatus, alioqui loquentem potius quàm eloquentem videri. θαμίζειν in re aliqua aſſiduum eſſe aut circa locum aliquem libenter verſari, ſignificat. Neque hic prætereundum eſt, quód Pythagoras diſcipulos ſuos primum tacere docuit, quo nimirũ fœlicius interim philoſophię initiarentur, ne temere, ſtolide, & inprouide de re aliqua publice dicerent, diſputarent in ſcholis, aut opinionem ſuam aſſererent, ſed tum demum ad dicéndum idoneos iudicans, cum cyclopediam per omnes philoſophiæ gradus iam abſoluiſſent. Atq; huc ſpectaſſe videtur Pythagoræ diſcipulus Empedocles, in hac ſententia, dum Rhetoricæ non primas, ſed ſummas tribuit. Sic Ariſtoteles, tametſi ingenio acerrimo, & eruditione præter cæteros ſingulari, & ab incunabulis fere inter præſtantiſsimos philoſophos verſatus, ante annum quadrageſimũ tamen neq; publice docere quicquam, neq; etiam cõſcribere voluit.

D. Pru-

Prudenter itaq; multi dialecticam priorem in discēdis disciplinis, quam Rhetoricam esse voluerūt.

Τί ἀρετή ἐστιν. Socratis tempore, nec certa definiendi ratio, nec methodus quæ nunc est, in tradendis disciplinis, adhuc erat. Hinc est, quod Socratem sæpe laborantem inducat Plato, antequam rerum, de quibus disserit definitiones statuat, Socratem audiuit Plato, Platonem Aristoteles, atq; hic demum, aureā illam in artibus methodum inuenit, & tradidit, ut non sine causa huius Philosophia, præ aliorū inuentis, in bene constitutis academijs, præcipuam mereatur commēdationem.

μίαν ἀρετήν. Verba Platonis sunt ὅτι μίαν ζητῶν ἀρετὴν παρὰ σοῦ σμῆνος ἀρετῶν ἀνεύρηκα κείμενον. Dum unam (inquit) virtutem quæro, virtutum apud te examen esse video.

ἆρ' οὐχί altera collationis pars. Meno unius virtutis, in genere definitionem interrogatus, non quid esset, sed quod multorum esset, respondit: Plutharchus vero, neq; tale quiddam à se committi, neque reprehendi oportere, arbitratur: quāuis unius erga alterum amicitia quid valeat, in libri titulo præteriens, tantum de ea, quæ inter complures amicitia est, scribere profiteatur.

Ἑκατόγχειρ. Briareūs iste Ægæon à Virgilio vocatur libro Æneidos. 10.

Ægæ

Ægæon qualis centum cui brachia dicunt,
Centenasque manus, quinquaginta oribus ignem
Pectoribus arsisse: Iouis cum fulmina contra
Tot paribus streperet clypeis. &c.

Πανόπτης, oculatus Argus, vel totus oculus, ut dicit ille, Totus sis denique Nasus. Ouid. centum huic in capite oculos tribuit, libro Metamo. 1.
Centum luminibus cinctũ caput Argus habebat,
Inde suis vicibus capiebant bina quietem,
Cætera seruabant, atque in statione manebanr:
Ostendit his duobus exemplis, absurdum prorsus futurũ, si ab aduersario tale quid obijceretur, quale ante est commemoratum.

θαυμαστὸν ὅσον imitatione Græcorum Latini quoque dicunt, mirum quantum, Liuius libro. 1. Mirum quantum illi una hæc nuncianti fides fuerit. Pro eo quód erat, mirum est quantum.

τὸ Ὑψιπύλης τρόφιμος, Ophelten regis Thracum Lycurgi filium periphrasticῶs denotat: de quo Statius Papinius Syluarum libro secundo in Epicæ: in Glau:
Sic & in anguiferæ ludentem gramine Lernæ
Pręcisum squammis auidus bibit angues Opheltẽ
Ad hunc autem nutriendum rex Lycurgus eiectã Lẽno à piratis emerat Hypsipylem, Thoantis regis Lemni filiam, cum reliquæ mulieres communi consilio viros occiderent, hec una patrem ser-

uauit ac dimisit, facit & Hypsipyles mentionem Valer. lib. 3. Argonau: Hanc Iason uxoris loco, postea habuit. Ouid. Episto. 6. Heroidum. Videtur hic locus apud Plutarchum ex tragœdia aliqua desumptus.

φιλόκαινον & ἀψίκορον, Nouitatis studiosum & ipsa tantũ inita beneuolentia saturum. ἅπτειν. i. attingere κόρος satietatẽ significat, ac si solo conspectu vel capto manibus cibo saturum dicas, metaphora hoc loco ad nouorum amicorum fastidia elegans.

Πρόσβατον. Sic in Aldino, & germanico, & gallico exemplari legitur, expendendum, num πρόσφατος rectius legi debeat, quod licet de recẽter iugulatis dicatur, tamen hic pro nouo, seu recente vel quod nuper admodum est, non male diceretur.

ἀφ' Ἑστίας ἀρξάμενοι Vt ab ipso lare incipiã. hoc est, ab his demum, qui amicitiæ leges constanter, non obseruasse tantum, sed quasi primum iura quædam sanxisse videntur, ἀφ' Ἑστίας ἀρχεσθαι dicebãtur, qui primũ à se suisque initiũ sumerent, sicuti hoc loco Plutarchus, de amicitia dicturus, ab his incipit, qui in ea maxime celebres, & quodã modo amicitiæ viua exemplaria, à scriptoribus perhibentur. Vesta cum Ioui aduersus Titanes opem tulisset, petijt ut cũ virginitate perpetua, sa-

cro

crorum onmium quæ dijs immolarentur, ſibi primas afferre pateretur, adagij uſus apud Eraſmum in Chiliadib.

παλαιὸν αἰῶνα. Cicero ſuperiorem ætatem vocat.

ζεῦγος φιλίας latine amicorum par, ab irrationali ad rationale tranſlationem fecit, ζεῦγος enim vinculum, plauſtrum, aut iumentorum par ſignificat, ut iuga boum. Cicero qui in ſingulis iugis arant. Quinta in Verrē actione. Idem in Philippicis, de Antonio & Dolabella iugum hominū impiorum μεταφορικῶς dixit.

Theſeus & Perithoüs, de his Val. Max. li. 4. ca. 7. quorum amicitia etiam poëtarum verſibus celebratur, Statius octa. Theb. Ouid. 2. de Ponto. Horat. 3. Carmi. Idem 4. Car. ode 7. Non lethæa valet Theſeus abrumpere charo Vincula Perithoo. Fingitur Perithoüs, cū Theſeo ad inferos deſcendiſſe, & ibidem à trifauci Cerbero deuoratus. Seneca in Hercule furente.

Achilles & Patroclus, Elegāter ſane Homerus, irā Achillis, diuerſa ratione Troianis & Græcis noxiā feciſſe cōmemorat, ob raptā a ſe Briſeida græcis infenſior Achilles, bello abſtinuit, unde plurimi à troianis miſere trucidati ſunt, inter quos & Patroclus, qui cum Achilli imprimis charus eſſet, indignatione in Troianos cōuerſa, cum alijs mul-

tis

tis & Hectorem illum omnium fortiſsimũ interfecit, quæ omnia breuiter & eleganter ſane primum Iliados Homericæ carmen reſpicit.

Μῆνιν ἄειδε θεὰ πηληιάδεω Ἀχιλῆος.

Oreſtes & Pilades. Ouid. li. de Ponto. 2. Eleg. 3. Adfuit inſano iuuenis Phoceüs Oreſti. Pylades qui pro Oreſte in Taurica regione (eo enim inſania correptum Oreſtem ſecutus fuerat) mori voluit. Eſt enim illic ſolenne, peregrinos Dianæ immolare, de horum amicitia Cice. lib. de finibus ſecundo.

Phindias & Damon. Plutarchus hic in nomine à Valerio maxi. lib. 4. cap. 7. & M. Tullio lib. 3. officiorum variat. Illi enim Pythiam vocant quem noſter Phindiã, Valerius Damõ, & Pythias (inquit) Pythagoricæ prudentiæ ſacris initiati, tã fidelem inter ſe amicitiam iunxerant, ut cum alterum ex his Dyoniſius Syracuſanus interficere vellet &c. Memorabile exemplum amicitiæ: Sic Cice. Damon & Pythias Pythagorei, hoc animo inter ſe fuerunt, ut cum eorum alteri Dyoniſius Tyrannus diem necis deſtinaſſet, & his qui morti addictus eſſet, paucos ſibi dies commendandorũ ſuorum cauſa poſtulauiſſet, vas factus eſt alter ſiſtendi eius, ut ſi ille non reuertiſſet, moriendum eſſet ipſi, qui cum ad diem ſe recipiſſet, admiratus eorum fidem tyrannus, petijt, ut ſe in amicitiam

tertium adſcriberent.

Epaminundas & Pelopidas de hoc Trogus & Plutarchus in Parallelis: qui etiã de utriuſque in alterum amicitia, in vita Pelopidæ copioſius diſſerit.

οὐδὲ κολιῶδεσ, graculi volant gregatim, unde & teſte Varrone nomen habent, eleganter exprimit ſtabilis amicitiæ inter amicos ingenium, potiſsimum in eo quod dicit σύνομον ἡ φιλία ζῶον, quaſi dicat ſtabilem, veramque amicitiam, hoc in ſe habere, quod neq; prandia, neq; cœnas, imo ne ſomnum quidem ipſum, ſuauem eſſe ſinat, niſi adſit ille, in cuius unica familiaritate, & charitate conquieſcis.

ὥσ ἕτερον. Amicus alter ipſe, ut habet prouerbium, nititur probare inter paucos atq; adeo duos, ſtabilem veramq; amicitiam conſiſtere.

νόμισμα φιλίασ Oſtendít qua potiſsimum re, & quo modo cõcilietur cõcordia, non precio, neq; muneribus, ſed virtute, morum naturæq; ſimilitudine, & gratia.

Ποταμοὶ πολλὰσ σχίσεισ καὶ κατατομὰσ λαμβάνοντεσ. Reſpicit forte ad ea quæ de Gynde à Cyro perſarũ Rege facta cõmemorãtur. Sene .li.3. de ira. Cũ Gyndes fluuius inquit ſecundæ poſt Euphratem magnitudinis, Cyri impetum venientis contra Babilonios interciperet, & quidam ex militibus

bus ſumme dilectus Regi, eius moliens tranſitū, rapacitate fluminis abſorptus eſſet, Rex iratus amicum ulciſci ſtatuit, iurans ut nunc præclarum equitem vorauiſſet, mox vix tingeret genua mulieris. Nec peragendo ſegnior, bellum cum flumine geſsit, & totis copiјs per magnas deductū foſſas in 46. alueos diſpertiuit, hęc Seneca. Herodotus lib. 5. in trecentos & ſexaginta alueos à Cyro flumen illud deductum ſcribit.

τηλυγέτησ, ab ipſo autore explicatur, alioqui proprie dicitur de eo qui parentibus ſeriore iam ætate eſt natus. Homeri interpres hoc vocabulum, pluribus explicat. Nam quoties filium deſcribit parentibus charum τηλυγέτην vocat.

συγκατεδιδοκῶσ Germanicum, συγκατεδοκῶσ Gallicum exemplar habet. Aldus verò συγκατεδηδοκῶσ, idq; recte, ab ἔδω quòd præteritū ἔδηδα facit pleonaſmo ſyllabæ δο ἐδήδοκα, ſicut ab ἄγω ἄγηχα ἀγήγοχα: prouerbiū citat Eraſ. Nemini fidas, niſi cum quo modium ſalis abſumpſeris. Sed nullam huius loci ibidem mentionem facit.

ἔποδή, habet Aldus. Gallicum vero ἐπεὶ δ᾽ἡ ἀληθινὴ φιλία, neq; id male meo iudico.

δεῖ ἀποδέξασθαι κρίνοντα Simile quid ex Theophraſto refert Plutarchus in commentario cui titulus περὶ φιλαδελφίασ, hoc modo Τοὺσ μὲν γὰρ

ἀλλοτρίους (ὡς ἔλεγε Θεόφραστος) οὐ φιλοῦντα δεῖ κρίνειν, ἀλλὰ κρίνοντα φιλεῖν hoc eſt non oportet amantem iudicare, ſed amare poſteaquam iudicaueris &c.

Ποῖα ἐν βραχεῖ χρόνῳ δοκιμασία huc pertinet ꝙ Sophocles poëta grauiſsimus in Oedipo refert
Χρόνος δίκαιον ἄνδρα δείκνυσιν μόνος.
Κακὸν δὲ κ᾽ἂν ἐν ἡμέρᾳ γνοίης μόνῃ
hos verſus ſic alibi Eraſmus.
Mora temporis probum arguit tandem virum
At improbum vel unico agnoſcas die

ἐσάγων. Gallicū exemplar ἐισάγειν habet, elegāter hoc vocabulo hic uſus eſt in metaphora, eſt enim ἐισάγειν forenſe verbum, quod tam ad actorē, quam ad iudicem referri poteſt, ut ſit cui de re aliqua notio certa eſt: & hic de iudicio & electione unius aut alterius, è pluribus.

καὶ γὰρ ἐρίνην videtur melius legi poſſe καὶ γὰρ ἀπαρίνην. Aparine enim lappę quoddā genus eſt, prætereuntium veſtibus inhærēs, quare eam græci & Plinius Philanthropon vocāt, redditq́ eius Leonarthus Fuſcius rationē, in eo quē de hiſtoria ſtirpium compoſuit commentario, his verbis Vox (inquit) humanitatis, amoris & comitatis illi impoſita eſt, ꝙ blāda, comis, & hoſpitalis herba ſit, nec aliter prætereuntiū veſtes apprehēdat, quā ſolent amici, & hoſpitaliores à ſe decedentes, cō-

prehensa veste retinere, aut si id nequeant, aliquādiu sequi. Flandri hanc ab inhærendo **clessen** vocauere.

Ουδέκεν ἄλλο &c. aliter paulo legitur apud Homerum Odisse. δ. Finis enim superioris versus sic desinit.

οὐδέκεν ἡμέας
ἄλλο διέκρινε φιλέοντέ τε τερπομένω τε
Πρὶν ὅτε δὴ θανάτοιο μέλαν νέφος ἀμφεκάλυψεν.

Verba sunt Menelai de Vlysse, quibus amicitiam tam in aduersis, quam secundis rebus comprobatam, nunquam abrumpi posse confirmat.

ὅτ' ὀπός, inter alia, vocabulum ὀπός hoc loco potest accipi, pro succo illo, quo lac coagulatur, siue ex arbore promanet, siue ex ficu, siue ex ramis. Agricolæ nostri quo utuntur ad lactis cōcretionem in caseo, patrio vocabulo **rensele** vocāt.

παγεῖσα Perseuerat in metaphora, quod Fabius probat Πηγνύω & ἐπάγην ἀπό τοῦ πήγω id est, congelare facio, siue constringo, hoc loco unire & conglutinare significat.

πόλις δὲ ὁμοῦ melius legitur πόλις δ' ὁμοῦ. Versus autē sunt Sophoclis poëtæ statim in principio Oedipi tyranni.

πόλις δ' ὁμοῦ μὲν θυμιαμάτων γέμει
Ὁμοῦ δὲ παιάνων τε καὶ στεναγμάτων.

Ducit comparationem à populo Thebano qui liberatus à tyrannide Sphyngis, festiuus per urbē

sa-

ſacra dijs obtulit,idem tamen ob ſcelus ab Oedipo admiſſum,preſſus & exhauſtus peſtilentia,iuſta paſsim dijs manibus perſoluit. Hunc verſum etiā adducit in eo comentario, quem de ſuperſtitione inſcribit.

Ουδ᾽ εἰσ γὰρ &c.

Senarius eſt alicuius poëtæ nobis incogniti

θέλγητρα ſolemus in familiarium congreſſu manus præhēſare,eoſq; complecti,officium illud, taleſq; illecebras θέλγητρον intelligit, pro quo in Euripide ςέργητρα legimus.

ὡς πρὸσ ἐναντίην.ἢ μετὰ πολλῶν παθῶν εἰσιοῦσα quamuis hic nihil varient exemplaria expendendum,num ſic etiam legi poſsit, ὡς πρὸσ ἕνα τινὰ εἰσιοῦσαν &c.

Μὴ πολλοῖσ Ne cuiuis dexteram.explicat Eraſ. in Chiliadibus.

Sophiſtę Chilonis,&c.Sophiſtę olim erat honoris vocabulū, ut tyranni & paraſiti,quo tribuebāt alicui, veram ſapientiam:ſicut hoc loco honoris quoq; epitheton eſt.

Creontem &c.quomodo pater Creon una cū filia Glauce conflagrarit incendio, ex poëtarum fabulis petendum.

ὀυκ ἴσὸν ἄγει ςαθμὸν elegans eſt metaphora, à bilancibus tranſumpta ςαθμὸσ enim inter alia,libram ſiue bilancem ſignificat,inſtrumētum vide=

licet quo in lancibus res ponderantur. Herodianus lib.2. his verbis in oratione Pertinacis, hanc ſententiam explicare videtur. Tenax eſt iniuriarũ memoria, quod offendit non obliteratur, beneficia ſtatim ipſo uſu excidunt.


Parmenion pater, & filius Philotas, ſummæ nobilitatis & autoritatis principes, apud Alexandrum Macedoniæ regem, ab eodem interfecti, fuere, & quotquot eiſdẽ amici, & familiares eſſent in odium inuidiamq́ regis per calumniatores adducti, Amyntas, Symmanna, Polemon, Nam lege Macedonica cautum erat, ut propinqui eorum, qui regi inſidiati erant, cum ipſis necarẽtur, Quare cũ Philotam torqueri fama vulgauerat, equites, & nobiliſsimi quique, & hi maxime, qui Parmenionem propinqua cognatione contingebãt, alij ſe interficiunt, alij in deuios mõtes, vaſtaſque ſolitudines confugiunt &c. Reliqua in Quinto Curtio, circa finem libri ſexti, & initium ſeptimi.

Σκιανοῦ. &c. Dion lib. quinquageſimo ſeptimo Romanarũ hiſtoriarum non ſemel ſcribit Σιανοῦ Tranquillus, & Seneca, & Iuuenalis ſatyra 10. Seianum efferunt. Tranquillus in Tiberio. Super veteres amicos & familiares, viginti ſibi in numero principũ ciuitatis depopoſcerat, velut conſiliarios in negotijs publicis, horum omnium vix duos, aut tres incolumes præſtitit, cæteros, alium

alia

alia de causa perculit, inter quos cum plurimorū clade Elium Seianum. Seneca ad Serenum de vitę tranquillitate. Quo die Seianum senatus deduxerat, populus in frusta diuisit, in quo quicquid congeri poterat, dij hominesque contulerāt, & ex eo nihil superfuit, quod carnifex traheret.. Iuuenalis de eiusdem infortunijs satyra 10.

Ardet adoratum populo caput, & crepat ingens
Seianus, deinde ex facie toto orbe secunda,
Fiunt urseoli, pelues, sartago, patellæ,
Pone domi lauros, duc in capitolia magnum
Cretatumque bouem, Seianus ducitur unco
Spectandus



Dionis &c. Vxorem videlicet Areten, & sororem Aristomachen, & filium in carcere natum intelligit, quos Hicetes Syracusanus in gratiam fortasse Dionysij, ab hostibus Dionis inductus, in pelagus pręcipites, è naui miserat. Plutarch⁹ in Thimoleonis vita, &c.

Θήσευσ. Respicit ea quæ commemorant, de Theseo, & Perithoo, qui inuito Plutone abducere ab inferis coniugem sunt conati &c, ut vero spōtaneam captiuitatem Thesei ostendat.

ἀχαλκίυτοισιν non fabrefactis, hoc est sibi non factis quod sponte sua sibi inijci passus est.

Πολύποδοσ De Polypo, Plutarchus in caussis naturalibus, & in Chiliadibus Erasmus.

VTRIVSQVE PRIVILEGII.
Summa.



HVnc Plutarchi de complurium amicitia libellum, ab Ioanne Othone latinitate donatum, ne quis alius præter Henricũ Chærium, intra quadriennium in Brabantia, aut Flandria, imprimat & diuendat. Is qui contra ausus fuerit, viginti Carolinorum & librorum multam incurret, sic Datum Bruxellæ, vj. Iulij. 1556. Subscribente P. De Lens.

Quinta Augusti eiusdem anni, Subscriptione. I. De La Torre.

[illegible] 1855 [illegible] 20 f

signé Pernot.





